

ACTA
IN COMITIIS
PROVINCIALIBVS
ORDINIS MIN.^o CON.
S. FRAN. PROVINCIAE COLONIEN.
COLONIAE V. IAN. 1619. HABITIS.

Præsidente R.^{mo} Patre Magistro Iacobo Bagnacaballensi,
prædicti Ordinis Ministro Generali,
cuiusque & Patrum iussu edita.



LEODII,
Typis Christiani Ouwerx iunioris propè sanctum
Dionysium, sub signo Patientiae.
Anno M. DC. XIX.

Acta in Comitibus Provincialibus Provinciae Colonienfis sub
Patrocinijs sancti Patris Francisci nec non sanctorum
 trium Regum Coloniae die 5. Ianuarij habitis 1619.

Præsidente R. M. Patre Magistro Iacobo Bagnacaballenfi
totius Ordinis Min. Con. Sancti Francisci Ministro
Generali.

Diffiniuntibus verò admodum. RR. PP.

Diffinitoribus perpetuis.

Patre Hermanno Fichero Prouinciali Actuali.
Patre M. Ioanne Pelkingio Prouinciali electo & visitatore Generali.
Patre M. Veglenfi Prouinciali S. Bonauent. & Afsist. Reuerendis.
Patre Magistro Petro Puttenio.
Patre Huperto Iankmmanno.

Diffinitoribus temporaneis.

Patre Francisco Vuada pro Custodia Colonienfi.
Patre Ioanne Confluentino pro Custodia VVestphaliae.
Patre Ioanne VVinichio pro Custodia Treurenfi.

F. Ioannes Falix de Braxia ord. secdo Secretario.



14141

LEODI

Typ. Officium Universitatis prope Collegium
Bibliothecae Universitatis
Anno M. DC. XIX.

IESVS MARIA.

Pax Christi 2

FRATER IACOBVS HVMILIS OMNIVM

VESTRVM SERVVS, ET MINISTER

Generalis indignus, Patribus & Fratribus Pro-
uincia Colonienſis ſalutem, & veræ
pacis augmentum à Do-

mino præcatur.



GRAPHICAM noſtram Religionem de pri-
ſtino ſplendore cōcidiffe, regularem diſciplinā
in ea labefactatam eſſe ſatis ſuperq̃, Fratres cha-
riſſimi, videre ac cernere poſſumus; quomodo
vero conciderit, quomodo diſciplinæ ſtudium
obſoleuerit, iam nobis ſi ſapimus cogitandum
eſſe arbitror; vt huius tantæ iacturæ cauſas &
principia animaduertentes, præſentibus malis occurrere & incom-
modis noſtris remedia oportuna adhibere poſſimus, quo S. Patris
Franciſci in cordis ſinceritate veſtigia tenētes, ac iuxta emiſſam pro-
feſſionem mores noſtros vitamq̃; inſtituentes, non ſolum ipſi debi-
tum ſummo Deo obſequium & ſamulatum humiliter & deuotè præ-
ſtemus, verum etiam cæteri fideles exemplo noſtro à vitijs reuocen-
tur, ad Dei gloriam, laudemq̃; excitentur: huc enim ſtudia noſtra di-
rigenda eſſe, huc mentibus, corporibusq̃; tendendum eſſe manifeſtū.
Hac ego de cauſa hyberno tempore nulla montium, nulla fluminum,
nulla periculorum, nulla tam longi itineris habita ratione Italiam
relinquens in hæſce longinquas Europæ Regiones me contuli; me cō-
tuli inquam, vt Ordinem noſtrum olim hictum litteris, tum Sancti-
tate florentem reſtituerem ac repararem. Iamq̃; fauente Deo Prouin-
ciarum S. Bonauenturæ in Gallia & Argentoratensis in Germania ſu-
periore comitijs Prouincialibus habitis eorum ſtatum & rationem
iuxta temporum & rerum conditiones ita compoſui, vt multis ordi-
nationibus editis actibusque capitularibus rectè conſtitutis non mo-
do

do muneris mei officio, conscientiaq; mea satisfecerim, verum etiā de ijs ac de eorum fratribus nullum bonum iam sperare non liceat. Ea namque prudentia, fide & doctrina, Ministri Prouinciales electi præditi sunt vt subditos Fratres regere, docere, & in viam salutis dirigere possint, & amplius S. Ecclesiæ Rom. aduersariorum errores redarguere, eorumq; peruersos conatus infringere valeant. Quæ sanè in hisce præsertim partibus à Ministris prouincialibus omninò præstari debere cõpertum est. Iam verò peractis præmissis per saxa, per ignes, hoc est per infelicitissimorum hæreticorum loca sæpius transiens maximis defatigatus itineribus diuina aspirante gratia incolumis ad hanc vestram Prouinciam Coloniensem perueni, in quam sanè ingrediens non mediocri sum affectus lætitiæ; in Bõnenf. namq; conuentu necnon in hoc Coloniensi ad S. Con. Trid. præscriptum, & iuxta Pontificias sanctiones multa emendata, multaque bene cõposita animaduertēs magnā concepi expectationem forè, vt iactis iam disciplinæ regularis fundamētis inuito Dæmone Seraphicus ordo noster in hac Prouincia ad Maiorem Dei gloriam in pristinum decorem restitueretur; faxitq; Deus Ter. Opt. Max. vt quemadmodum Ciuitas hæc Rom. Imperij olim fortissimū præsidium nunc verò fidei Catholicæ singulare propugnaculum, inter cæteras Rom. Colonias præcipua per Antonomasiæ Colonia nuncupata est: ita hæc vestra Prouincia quæ ab hac nobilissima Ciuitate nomen accepit & quam primis Religionis nostræ temporibus clarissimi doctrina & sanctitate viri incoluerunt, præsertim inclytus subtilis Doctor Scotus Academia nostræ Princeps, qui etiam in virtutibus præclarus in hoc Cõuentu cum opinione Sanctitatis obdormiuit in Domino, moribus, disciplinis, & scientijs, cæteras Cismótanas Prouincias antecellens veræ & exactæ regularis obseruantia exemplum sanctæ communitatis sectando studium se præbeat ac Doctissimorum & sanctissimorum Religiosorum copia in dies magis ac magis abundet.

Præclarè quidē cum hac inclyta ciuitate quin actū sit nullus profecto dubitare debet cum S. Perrus Apostolorū princeps D. Maternū ad fidem Christi prædicandam huc misit cuius postea sanctis prædicationibus Ciues conuersi nunquā (quod certè summa Dei benignitate factum est) à fide Catholica recesserunt, & S. Ecclesiæ Rom. debita honoris & reuerentiæ officia exhibuerunt. Sed vtinam me cum etiā licet indignus sim peccator sic ageretur, & cum Beatissimi Patris nostri Pauli Quinti veri S. Petri successoris & Ordinis nostri amantissimi sanctæ voluntati ex officio morè gerens huc visitandi munus, &

& labores susceperim, cōcedat mihi oīpotens & misericors **DEVS**
vt verbis sermonibūq; meis veræ Religionis & deī & cōmunitatis
studium in cordibus vestris sic imprimatur & in mētib; vestris tam
altē infideat vt nunquam à recta via desleat, sed sanctorum Apo-
stolorum imitatores facti Dei, gloriam & salutem animarum zelan-
tes S. Romanæ Ecclesiæ Catholicæ fidem cum fructu, & cum seruiore
populis annuncietis. Hoc enim instituti nostri ratio postulat, hoc
nos in ipso Regulæ initio S. Pater illis verbis docet atq; præscribit:
I Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Dño Papæ
Honorio & eius successoribus canonicæ intransib; & Ecclesiæ Ro-
manæ: quorū profecto verborū vi ex Bonauenturæ sententia Christi
fidelibus & Regularibus & nos Franciscani peculiari hoc voto atri-
cti omnimodam obedientiam S. Rom. Ecclesiæ præstare tenemur.
Quamobrem Fratres Chraiff, hac occasione arrepta cum inter perdi-
tissimos inimicos Catholicæ fidei vos conuersari contingat, Saluato-
ris ac Domini nostri Iesv Christi dictum vobis propono: Estote pru-
dentes sicut Serpentes & simplices sicut Columbæ: Et alibi in sacris
litteris legimus oculi sapientis in capite. Serpens ad caput ad prote-
gendum totius corporis reliquum facile exponit; saluo namq; capite
de vita non desperat sic nos Seraphici instituti sectatores ex offi-
cio & regulæ præcepto pro S. Ecclesiæ Catholicæ capite, hoc est pro
SS. Pontifice Rom. indubitanter vitam profundamus, illiusq; vocem
audientes sic mentis nostræ oculos in eum intendamus, vt omnia ac
singula quæ à Sac. Con. Trid. & à decretis Pontificijs tum de fide, tum
de regulari ac communi vita traduntur si prudentes videri, si æternā
gloriam adipisci volumus omnino & ad amussim obseruanda nobis
esse certissimè sciamus. Iam n: vt canitur ab Ecclesia sancta: hora est
de somno surgere; & opera tenebrarū abiiciendi, lucisq; arma regulæ
scilicet & votorū exactam obseruationem induendi, tēpus aduenit,
& profecto cum de rerum summa agatur, haud cunctandum est; ne
æterno nostro incommodo Davidicū illud nobis obijciatur: tempus
faciendi Domine dissipauerunt 'egem tuam. Quapropter cum in hoc
sacro Aduentu ad vos peruenerim, ac post Natalem Domini de Capi-
tuli celebratione statuerim, Ordinis nostri reparationis & animarū
vestrarum saluti cupidissimus S. Ioannis præcursoris verbis libentis-
simè vtor: Ego vox clamantis in deserto parate viam Dñi rectas facite
semitas eius. Ordo namq; noster fertilissimus olim cuiuscūq; segetū
generis campus in desertum, in syluam spinis & arboribus aut humi-
nalibus cōstitam infelicitè euasit: Quid verò elapsis annis actum sit,
quomodo

22
quomodo multi ex nostris ambulauerint nos ipsi excogitare possumus: modo verū resforeat Ordo, cum disciplina Seraphica multis in locis & præcipue in Italia summo sanctæ Sedis Apostolicæ gaudio restituatur; neq; vos Fratres Chariss: in hac vestra Prouincia in qua multa vt video iacta sunt semina virtutum, segnes aut desides tanto in negotio esse debetis: vt nos ipsi & Religionis nostræ amatores lætantes illud Isaïæ vsurpare possint lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo & florebit quasi liliū, & in veritate amplius subdere valeant: in cubilibus in quibus prius dracones habitabāt orietur viror calami & iunci, & erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur hoc est in Conuentibus & in Cellis quæ prius inobedienciæ proprietatis & impudiciæ sedes erāt; modo obedienciæ, paupertatis & castitatis totiusq; Regularis disciplinæ obseruantia inhabitet & exquisite vigeat. Adde tamen Diuina aspirante gratia, vt vitæ nostræ ratio bene composita & rectè instituta hæreticorum prauos mores & falsa dogmata sic arguat & confundat, vt ipsi prædicationibus, hortationibus ac disputationibus nostris Dño cooperante permoti, relictis ægypti tenebris & hæresum omnium erroribus derestatis pedes suos in viam pacis dirigant & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ fidem amplectantur: sicq; loca & Ciuitates in quibus modo hæresum & errorum omnium pestilens grassatur malitia, in fidei, charitatis & pietatis doctorices euadant. Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi ait Saluator religiosi omnibus: Cum autem sal, ad condiendam populorum insipientiam, cum lux ad illuminanda corda quæ in tenebris sedent, esse debeamus; summopere cauendum erit ne sal nostrum infatuatū projiciatur foras, & ne absq; ardentibus bonorum operum lucernis manus nostræ inueniatur. Quapropter parate viam Dño, rectas facite semitas eius: sumite speculas, vt ait Ieremias, ponite amaritudines & vnusquisque cor suum in viam rectam dirigat, vt in sacro Natali adueniens Dominus noster IESVS Christus sine vlla labe paratas sibi in vobis mansiones inueniat. Ad obices autem & omnia impedimenta tollenda cum Sacramentali cōfessione fuerint expurgatæ cōscientiæ, vobis omnibus facultatem impertior, vt quatenus opus fuerit, omnium casuum, censurarum & irregularitatum, quatuor ordinis superioribus reseruarum, absolutionis beneficio pro vna vice duntaxat in foro cōscientiæ gaudere & pro arbitrio confessariū, modo ab ordinario Religionis sit admissus eligere possitis, vobisq; omnibus in Dño suadeo vt quemadmodum hæc Prouincia immo hæc Ciuitas triū sanctorum Magorum & Regum qui Dominum IESVM in præsepio adora-

adorarunt, patrocinio fruitur & gaudet, sacrorumq; trium corporū
Dei misericordia felix custos facta est, sic in proximis Natalitijs die-
bus eiusdem Dei ac Domini nostri vos sanctos Reg^s imitantes tria
sancta Dona, paupertatem scilicet obedientiam & castitatem ex toto
corde Christo Domino supplices eo animo & intentione offeratis,
vt vororum emissorum renouatione mentis vestræ spiritu renouati
vitam prius & sanguinem ipsum profundere, quam pacta cum Deo
inita non seruare, vel à summi Pontificis obedientia & à sanctæ Ro-
manæ Ecclesiæ fide deflectere firmiter statutum apud vos semper ha-
beat.

Quare de Capitulo huius Prouinciæ Colonienſi celebrando habi-
ta iam deliberatione vocales omnes seu Electores festis Natalis Dñi
transactis nouo incepto anno in sacræ Epiphaniæ festo accedāt ad co-
mitia Prouincialia, quæ sanè in hac nobilissima Ciuitate Colonien-
ſi die quinta Ianuarij anni venturi 1619. celebranda omni meliori
modo & forma indicuntur. Iubentur autem omnes vocales ad meri-
tum salutaris obedientiæ ad statutum tempus feria scilicet 5 hebdo-
madæ capituli quod erit 3. Mensis præfati hic adesse vt noui Ministri
Prouincialis præsentis tamen triennali seruato Ministerio, electio
canonica fiat, aliq; iuxta temporum rationem & Prouinciæ statum
p publico bono decernātur. Vocaliū nomine potiuntur & gaudēt &
electores dicuntur diffinitores perpetui & tēporanei, Custodes, Guar-
diani, Magistri & discreti Canonice electi q; sane discreti per suffra-
gia secreta eligantur sacris ordinib; initiati, ac in Conuentibus de
quibus referre debuerint, per sex Menses integros saltem sint cōmo-
rati, alias electio irrita censetur & ipsi è Capitulo dimittentur. Præ-
ter electionis litteras testimoniales, Conuentuum & locorum ratio-
nes & statum secum deferant, libereq; omnia quæ pro Conuentuū
suorum commodo magis conducere sibi in Domino visa fuerint, ma-
los bonosq; euentus proferant. Qui non sunt vocales seu Electores
vel non vocabuntur ad Capitulum sub vnus disciplinæ & vocis acti-
uæ & passiuæ priuationis poena accedere nullatenus audeant, sed do-
mi se contineant, & feria sexta ac Sabbatho Capituli sanctissimæ Eu-
charistiæ expositione preces instituunt, orentq; altissimum pro
S. Matris Ecclesiæ exaltatiōe & vt Minister Prouincialis doctrina fide
ac prudentia præditus eligatur. Nullus ad Prouincialatum nullaue
officia assequenda fauoribus sæcularibus innixus ad Capitulū accedat;
non quærentibus enim gradus & dignitates tribuendæ sunt iuxta ce-
lebre

lebre illud Sac. Con. dictum: locus regiminis sicut desiderantibus est
negandus, ita fugientibus est offerendus. Præterquam quod litterę his
de causis allatæ nisi peractis comitijs perlegentur & ambientes
huiusmodi acrius accipientur.

Accedant igitur omnes in Domino diuino tantummodo freti auxi-
lio & ad omnia animos promptos habeant, orentque Deum ut huic
Prouinciæ non lupus sed Agnus mansuetus ad ipsius Dei gloriam &
animarum salutem reficiatur: Emitte agnum Domine dominatorem
terræ de petra deserti ad montem filia Sion.

Perlegantur publicè hæ litteræ ad indicenda Comitia Prouincialia
conscriptæ in omnibus Conuentibus & locis huius prouinciæ, ut fra-
tres tempestiuè moniti ad præscriptum tempus conuenire possint.
DE V S Opt. Max. venientibus & nec venientibus sanctissimam suā
benedictionem cum gratiarum omnium incremento elargiri digne-
tur. Datæ Coloniz die Decembris 1618.

*F. Jacobus Bagnacaballensis
Minist. Generalis.*



P Ræmissis vero consuetis ritibus & cerimonijs, precipue de electorum approbatione, confirmatione, & enumeratione ante Ministri Prouincialis electionem decreta Capituli Generalis de reformatione ipsiusmet Prouincialis & Clementis octauī de Officialium electione publice, vt habentur in actis Capituli Argentoratensis lecta fuerē, quæ omnia placuerunt, & respectiue acceptata fuerunt.

Electio Ministri Generalis.

P Ræmissis igitur & alijs præmittendis ritè peractis ad electionem ventum est; sicq; summo omnium consensu per suffragia secreta electus est in Ministrum Prouincialem huius Prouinciæ Colonienſis admodum R. Pater Magister Pelkingius, quo cum ante electionem Reuerendiss. Pater Generalis Capituli & electioni præſidens dispensauerat, eo quod iterum fuisset Prouincialis. Qui Reuerendissimus Pater prædictam electionem approbans prædictum Patrem Magistrū Ioannem Pelkingium canonicè electum declarauit. Quibus habitis pro gratiarum actiōe fratribus Hymnum Te Deum laudamus perſoluentibus ad Ecclesiam ventum est, vbi Pater Prouincialis electus in manibus Reuerendissimi fidei professionem iuxta decreta Pontificia nuncupauit.

Electio Secretarij Prouincia.

Reueren. Pater Magister Ascanius Colonienſis per suffragia secreta electus in secretarium Prouin. & à Reuerendiss. confirmatus fuit.

Institutio Zelatoris.

Reuerendiss. Generalis in hac Prouincia instituit Zelatorem modo, & lege, vt in actis Argentoratensibus, patrem Hupertum Iunkmannum.

Electio Custodum & Guardianorum.

Pro Custodia Colonienſi Custos Reu. P. Mag. Gerardus Romerus. Guard. Bonnæ P. Franciscus Quade Vallis Felicis, admodum R. P. Petrus Putenius. Duisburgi R. P. Hupertus Iunkmān. Cluiſ P. Christophorus Marcgraff. Pro Custodia Treuironū Custos P. Ioan. VVinichius. Guard. Treuironū qui & Custos. Merlæ P. Ghilianus colonienſis. Pro Custodia VVestphala Custos P. Io. Cōfluentinus. Guard. Monasterij admo. R. P. Hermannus Eikerus. Sufati R. P. Ma. Arnoldus Birkmannus. Træmonia Pater Ioannes Cōfluentinus.

Concionatores Prouinciales.

Reuer. P. M. Afernius colonienfis. Reuer. P. M. Gerardus Romerus.
Reuer. P. M. Arnoldus Birkman. Reuer. P. Hermannus Fikerus.
P. Baccalaureus Ioës Cöfluentinus. P. Christophorus Marcgraff.
P. Federicus Suruua. P. Franciscus Quuade.
P. Georgius Stincking. P. Vinandus Homelius.
P. Baccalaureus Georgius Smalembergh.

Magistri Professorum, & Nouitiorum.

P. Baccal. Georgius Smalembergh. P. Gulielmus Alzphelt.
P. Antonius Gualpari. P. Franciscus Quuade.
P. Gerardus Coulner, P. Paulus Viburgonni. P. Therdorus Quuade.

Commissiões.

Omnia & singula quæ habetur in Actis Prouinciæ Argentoratensis sub titulo commissiões, Patri quoque Prouinciali huius Prouin. à Patribus Diffinitoribus respectiue committuntur; hoc vnum addendo vt doctrinam regularem imprimi, & Patribus distribui faciat.

Ordinationes.

Quantũ ad ordinatiões attinet, eadem quæ in Actis Argentoratensibus habetur, respectiue ordinatur cũ additione & limitatiõe scilicet. Vt mensis vnus spatio Bibliothecæ omnes iuxta Indicem Romanũ ab omnibus libris interdictis & suspensis expurgentur.

Ordinatio verò de cõtributionibus limitatur hoc pacto, vt Cõuentus Prouinciæ nullã omninò contributionem exoluant: sed Minister Prouincialis dictis & præceptis à Reuerendis. in hac re vt latius in actis manuscriptis obtemperare teneatur, expensæ verò capitulorũ & cõgregationũ prouincialium describatur distinctè in libro publico Prouinciæ à Reuerendis. Generali Coloniae instituto & ordinato.

Decreta.

Decreta Prouinciæ Argentoratensis pro hac Prouincia quoq; recipiuntur, & respectiue admittuntur, quibus additur vt P. Prouincialis in singulis conuentibus peculiarem librum instituat, in quo ordinationes & decreta quæ sunt in visitationibus describantur.

Archiuum Prouinciali in Conuentu Colonienfi erigatur, vbi locus idoneus ad rem sumptibus prouinciæ extruatur & ornetur, in quo monumenta & alia ad prouinciam spectantia asseruentur, vt distinctè scriptum in actis Argentoratensibus supradictis.

Declarationes.

Acceptantur declarationes comitiõrũ Argentoratensium quatenus ad rem nostram applicari possunt. Quibus additur, vt Guardiani, in quorum familia erunt quatuor electores, si ad Capitulum discretum.

non deduxerint, in electione Ministri Prouincialis ferre suffragium nullatenus possint. Conuentibus fratrum natiuorum inopia laborantibus alios fratres Minister prouincialis assignare possit, quorum operam & studium iisdem conuentibus commode fore iudicauerit.

Mandar & Reuerendis. Pater Generalis ministro prouinciali sub poena priuationis vocis actiue & passiuæ, ut fratres nostros alienis Ecclesijs deseruire aut extra claustra degere nullatenus permittat.

De Professorijs & Nouitijs.

Professi in refectionis loco sapius in habendis concionibus exerceantur. P. Guardianus thema eis semper concionis tradat, compositionis modum & rationem despiciat, & quæ animaduernerit corrigenda, corrigat. In cæteris verò tam professi quam nouitij gubernentur, & dirigantur iuxta statuta in Argenteratensibus comitijs.

Professoria habeantur in conuentibus Colonia, Bonnæ, Sufati, & Monasterij. Nouitiatus verò Colonia, Monasterij, & Treuiris.

Pro Conuentu Colonienfi.

Auctoritate Reuerendis. P. Generalis in conuentu Colonienfi pro facultate Theologica sub titulo Collegij Scoti constituitur gymnasiū, in quo lectiones secundū Scotū habeantur, quæ eius doctrinæ desunt ex D. Bonauentura. Alexandro de Ales, vel ex alijs nostri Ordinis doctoribus petantur. Lectores verò sint duo unus regens & alter Bachalaureus cōuentus iuxta dispositionem Reuerendis. P. Generalis.

Pro Conuentu Sufatensi & Treuirensi.

Eodem ordine & modo ut dictum est de Collegio Colonienfi. P. Generalis instituit gymnasiū Theologicum in conuentu Sufatensi, sed in conuentu Treuirensi habeatur gymnasium Logicæ & Philosophiæ, in quo docens non regentis lectoris tamen nomine gaudere possit, cui etiam respondens erit adiungendus.

De numero F. in singulis conuentibus iuxta sanctiones Pontificias à patribus ad id deputatis statuto ac prefixo. In Custodia Colonienfi.

Colonia 40. Bonnæ 12. Vallis Felicis 6. Cluiis 12. Duisburgi 6.

In Custodia VVestphala.

Monasterij 22.

Sufati 12.

Tremonia 8.

In Custodia Treuironum.

Treuiris 16.

Morlæ 8.

De ordine pracedendi inter FF. lecta & recepta fuere decreta Cap. Generalis, quæ distinctè habentur impressa in actis Prouincia Argenteratensis.

DE MONIALIBVS.

Quantum ad Moniales attinet, curet P. Prouincialis, ut omnes iuxta professionem emissam & decreta pontificia vitam traducant.

seruenturq; ad amissim ea que habentur in Actis Argenteoratenſibus demonialibus & regimī regimine, ita vt conuentus, & ſanctimoniales ipſæ quæ reformatione indigent ad meliorem frugem reducantur, & quatenus opus fuerit Sereniſs. Archiepiſcopi Electoris Colonienſis auxilium & brachium imploretur.

Nomina conuentuum cum numero Monialium in illis degentium.

Coloniz { in Conuentu S. Claræ 40.
S. Bonifacij ſunt tertiariæ 11.
Immaculatæ Conceptionis 6.

Noueſij S. Claræ 11. Externaci S. Claræ 9. Aormontis S. Claræ 16.

Pater Prouincialis omnem adhibeat diligētiam, vt ſanctimonialiū Confessarij ſint docti, prudentes, & ſpirituales. non apud Moniales ſed in Conuentibus noſtris degant, & ſuo tēpore ad Eccleſias Monialium poſtea ſe cōferant. Inepti verò & de rebus ſpiritualibus parum ſolliciti, ab huiusmodi muneribus arceantur. Annotata verò à P. Reuerendiſs. circa regulam Monialium, expenſis Cōuentus S. Claræ Colonienſis imprimantur, & in Prouinciam Argentorati etiam Prouincialis tranſmitti curabit.

Suffragia Capituli Prouincialis Colonienſis, Reuerendiſs.

Patris Generalis iuſſu propoſita.

P ro Beatiffimo Dño noſtro Paulo Papa v.	Miſſæ tres.
Pro ſacra Cæſarea Maieſtate Imp. noſtri Matthiæ	Miſſæ duę.
Pro Illuſt. & Reuerēdiſs. D. cardinali Burghelio	Miſſa vna.
Pro Illuſt. & Reuerend. D. card. Lante Ord. Proteſtore	Miſſa vna.
Pro Illuſt. & Reuerēdiſs. D. Card. Millino Ord. V. Proteſt.	Miſſa vna.
Pro Illuſt. & Reuerēdiſs. D. card. de Aſculo	Miſſa vna.
Pro toto Illuſtriſſimorū & Reuerēd. DD. card. collegio	Miſſæ duę.
Pro Illuſt. & Reuer. D. Epicoſcopo Vigiliarū N. Apoſtolico	Miſſa vna.
Pro Sereniſs. & Reuer. D. Archie. Electore Colonienſi	Miſſa vna.
Pro illuſt. Senatu & nobiliſs. ciuitate Colonienſi	Miſſa vna.
Pro Reuerēdiſs. Patre Generali cum tota Religione	Miſſæ duę.
Pro adm. Reuer. P. Prou. electo cum tota prouincia	Miſſa vna.
Pro benefactoribus noſtris viuīs atq; defunctis	Miſſæ tres.
Ad hæc ſuffragia perſoluēda teneantur oēs huius prouinciæ Sacerdotes, qui verò nō ſunt Sacerdotes totidem coronas recitet B. V. M. Dei.	
Cuſtodes omnes horum ſuffragiorū exemplum ſumere, ſecum deferre, & ad ſingulos cuſtodiarum ſuarum conuentus tranſmittere iubentur. In quorum omnium & ſingulorum fidem, &c.	
Coloniz die ſeptima Ianuarij Anni. 1619.	

